



Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

337. Eodem die Christus apparet vesperi, stans in medio discipulorem.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

CHRISTI REDIVIUI. 311

II. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.

Luc. 24. v. 31.

III. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

Luc. 24. v. 32.

MEDITATIO CCCXXXVI.

Illi visionem suam narrant Apostolis:

& ab his accipiunt novam,

Simoni factam.

I. ET surgentes eadem horâ, regressi sunt in Ierusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant,

Luc. 24. v. 33.

II. Dicentes: Quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

Luc. 24. v. 34.

III. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via; & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Luc. 24. v. 35. Illi euntes nunciaverunt ceteris: nec illis crediderunt.

Mar. 16. v. 13.

MEDITATIO CCCXXXVII.

Eodem die Christus apparet vespere, stans in medio Discipulorum.

I. CUM

I. **C**Um serò esset die illo, unâ Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio (eorum, *Luc. 24. v. 36.*) & dixit eis: Pax vobis. *Ioan. 20. v. 19.* Ego sum, nolite timere. *Luc. 24. v. 36.*

II. Conturbati verò, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videre, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. *Luc. 24. v. 37. 38. 39.*

III. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes, *Luc. 24. v. 40.* & latus. *Ioan. 20. v. 20.*

IV. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. *Ioan. 20. v. 20.*

MEDITATIO CCCXXXVIII.

Christus ab eis petit cibum, & manducat.

I. **A**Dhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? *Luc. 24. vers. 41.*

II. Ac